

**Zeitschrift:** Jahrbuch für Solothurnische Geschichte  
**Herausgeber:** Historischer Verein des Kantons Solothurn  
**Band:** 37 (1964)

**Artikel:** Die Wiedererrichtung der Abtei Beinwil und ihre Verlegung nach Mariastein (1622-1648)  
**Autor:** Fürst, Mauritius  
**Kapitel:** Anhang I : Translations-Bulle Gregors XV. vom 23. Dezember 1621  
**DOI:** <https://doi.org/10.5169/seals-324289>

#### Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften auf E-Periodica. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen sowie auf Social Media-Kanälen oder Webseiten ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. [Mehr erfahren](#)

#### Conditions d'utilisation

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. La reproduction d'images dans des publications imprimées ou en ligne ainsi que sur des canaux de médias sociaux ou des sites web n'est autorisée qu'avec l'accord préalable des détenteurs des droits. [En savoir plus](#)

#### Terms of use

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. Publishing images in print and online publications, as well as on social media channels or websites, is only permitted with the prior consent of the rights holders. [Find out more](#)

**Download PDF:** 20.08.2025

**ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>**

## ANHANG I

**Translations-Bulle Gregors XV. vom 23. Dezember 1621**

Original: 397 × 625 mm; Pergament; StAS: UA = K 44.

Gregorius etc. dilecto filio vicario venerabilis fratris nostri Episcopi Basiliensis in spiritualibus generali salutem etc.

Ad ea ex apostolice servitutis officio libenter intendimus, per que monasteriorum aliorumque piorum presertim regularium locorum ac in illis famulantium personarum omnium salubriori directioni ac commodis et utilitatibus valeat salubriter provideri. Exhibita si quidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum magistratus Solodorensis Lausanensis diocesis petitio continebat, quod alias, postquam tunc existens abbas monasterii Benivill nuncupati ordinis sancti Benedicti Basiliensis diocesis, qua tempestate orthodoxe fidei status in Helvetia periclitari ac titubare cepit Basileam infirmus, non tamen quod penitus constat ipsum animo apostatandi eo divertisset, migraverat preciuamque ipsius monasterii suppellectilem ut testimonia, sigilla, privilegia ac iura transportaverat, ipso abbate vita functo magistratus praedictus nullo labore nullisque sumptibus parcendo, solerti cura ac etiam armata manu suppellectilis huiusmodi partem recuperavit et monasterium ipsum iam a triginta annis circiter desertum per nonnullos religiosos dicti ordinis gubernari illique deserviri curavit. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, monasterium huiusmodi in usque adeo arido montuoso silvestrique loco, ut a nemine fere inibi divinus cultus frequentari possit, situm existat ac locus ipse ita medicorum testimonio insalubris habeatur, ut absque inibi commorantium vite discrimine inhabitari minime queat, necnon constructio ipsa vix at (korrigiert: ac) ne vix quidem ullam monasterii formam prebeat preterquam cum paucis ab hinc annis notabilis prope ibidem existentis montis pars tanto impetu corruerit, ut inibi lacum ingentem prorumpere causaverit, verendumque sit, ne dicti montis pars altera aliquando monasterium involvat, quod si monasterium predictum cum ipsius ecclesia sacraque et prophana suppellectili ad locum quendam devotione celeberimum Solodoro unica horula distantem Oberdoff (!) nuncupatum ac in diocesi Lausanensi existentem, ubi ante paucos annos insignis Basilica Deipare Virgini dedicata magnisque sumptibus constructa fuit, que ob multiplices gratias, quas illarum largitor optimus Christifidelibus impartiri non dedignatur, non modo a finitimis, sed ab aliis eo peregrinationis gratia adventantibus pie coli et frequentari solet, transferretur, ex hoc

profecto statui et indemniti ipsius monasterii ac religiosorum in eo pro tempore commorantium preopportune consuleretur, quare pro parte magistratus prefatorum nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus piis eorum votis huiusmodi annuere ac alias in premissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui monasteriorum aliorumque regularium locorum et personarum conservationi ac divini in illius servitii augmentatione cunctorumque fidelium indemniti et spirituali consolationi libenter intendimus, magistratus prefati singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et penis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum presentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore centes necnon monasterii et ecclesiarum huiusmodi situationes, confines, vocabula et denominations presentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus magistratui prefatis, ut monasterium prefatum cum illius ecclesia prophanari et ad prophanos non tamen sordidos usus, erecta tamen ibi cruce et servatis servandis, reduci facere, necnon quecumque forsan in dicta ecclesia inhumatorum ossa ex ea exhumari et ad secundo dictam ecclesiam una cum sacra et prophana suppellectili, dummodo Ordinarii Lausanensis ad hoc accedat assensus, ac salva et illesa remanente Ordinario Basiliensi facultate benedicendi abbates qui pro tempore erunt, prout hactenus fieri consuevit, et perinde ac si a sua diocesi translatum non esset, transferre necnon situm domum ecclesie que sic prophanatae rudera, cements, trabes ac reliquam illius materiam ex nunc prout ex tunc et e contra, postquam ecclesia ipsa prophanata fuerit, ut predicatur, pretio reperibili vendere illorumque pretium pro ipsius monasterii, sic ut praedicatur, transferrendi fabrica aliisque rebus necessariis expendere libere et licite possint et valeant, licentiam et facultatem auctoritate nostra concedas et impartiaris eisque pariter indulgeas, ipsosque magistratum super premissis a quocumque quomodolibet impediri aut molestari minime posse nec debere sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii apostolici auditores ac sancte Romane ecclesie cardinales, etiam de latere legatos et sedis apostolice nuncios, iudicari et deffiniri debere ac irritum et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, eadem auctoritate nostra decernas, non obstantibus etc.

Datum Rome apud Sanctum Petrum anno incarnationis dominice millesimo sexcentesimo vigesimo primo, decimo Kalendas Januarii, Pontificatus nostri anno primo.

Unterschriften auf Umbug: S. Carrettus  
A. Rabeus

unter Umbug: S. Savenus (?) (1. Reihe)  
M. Conde pro comp.e (?)  
V. A. pro praefecto  
T. Canevarius (?)  
S. Isquiedus  
Julianus Revilius

Thomas Berhy pro mag. (2. Reihe)  
C. Anonbonus (?)  
S. Ugolinus  
V. Anndenus  
S. Isquvendus (?)

(Die Abkürzungen im Text wurden aufgelöst, die Grossschreibung nur für die Eigennamen beibehalten.)